



The Holy See

IOANNES PAULUS PP. IILITTERAE APOSTOLICAE GAUDIO EXSULTAMUS MEMORIAE PRODITUR SUMMUM
PONTIFICEM IOANNEM PAULUM II

DIE UNO ET VICESIMO MENSIS MAII ANNO MCMXCV,

OCCASIONE DATA VISITATIONIS APOSTOLICAE IN URBE OLOMUCENSI,

IMAGINEM CORONAVISSE BEATAE MARIAE VIRGINIS, QUAE SUB TITULO

MATRIS DEI IN SACRA AEDE VISITATIONIS LOCO VULGO DICTO

«SVATY KOPECEK» ARCHIDIOECESIS OLOMUCENSIS VENERATUR Ad perpetuam rei memoriam. – Gaudio

exsultamus cum occasio Nobis datur ut Nostram pietatem in Beatissimam Virginem Mariam significemus, quae multiplici

intercessione in suo pergat officio aeternae salutis dona nobis conciliandi (cf. *Lumen gentium*, 62). Libenti igitur animo

precibus concessimus Venerabilis Fratris Ioannis Graubner, Archiepiscopi Olomucensis, qui, votum expromens suum et

Christifidelium sibi concreditorum, rogavit ut Ipsi Nos in Nostra visitatione Apostolica ad urbem Olomucensem gratiosae

imagini Beatae Mariae Virginis, quae sub titulo Matris Dei in sacra aede Visitationis loco vulgo dicto «Svaty Kopecek»

archidioecesis Olomucensis veneratur, pretiosum diadema imponere dignaremur. Volentes ideo in hanc caelestem

Matrem aliud Nostri amoris testimonium dare eiusque cultum augere, die uno et vicesimo mensis Maii anno MCMXCV

supra dictam claram imaginem pretioso diademate, benedictione sacro, sollemni redimiimus ritu. Ut autem huius

eventus posteris memoria traderetur atque indicaretur fidelium voluntas continenter Dei Matrem diligendi, sequendi,

venerandi, quae auxilium est omnium Christianorum, has Litteras dari iussimus, facti testes verissimas. Rebus

quibuslibet minime obstantibus. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, sub anulo Piscatoris, die XXVII mensis Martii,*

anno MCMXCVI, Pontificatus Nostri duodevicesimo. ANGELUS card. SODANO

Secretaries Status © Copyright 1996 - Libreria Editrice Vaticana
